

Appendix. — Europa Nro. 67.

Regnum Mortuorum.

Litterae Familiares inter Vivos et Mortuos.

Ad criticum Aristarchum.

Ex Mundo die 5. Augusti 1808.

Critici, qui hucusque exstiterant; et adhuc scribillant, in ephemeridibus literariis, aliisque idgenus pagellis, producta ingenii duntaxat trutinabant. At nunc alia Aristarchorum secta in Germania septemtrionali caput extulit, quae Regna, Ministros, operationes belli, et Generales perstringere non veretur. Juvat aliquot hic notasse notorios paragrphos:

„Si intueamur residuas Borussiae provincias, nihil praeter moestitiam universalem videre, plorantemque egoismum audire est, qui in dubio consistit, an optet, ut provinciae hae Domui brandeburgicae rursus adhaereant, vel ut Regno vicino incorporentur. Si contemplemur provincias a Borussia avulsas, fluctuationem ingratham observamus, ut adeo nulli adhuc adhaereant parti, non usquequaque novis delectentur formis, ipsaeque statum sibi ingratham prolongent. — Idea opinionum politicarum e Diariis politicis Germaniae septemtrionalis patet, quorum tamen nec tria consona reperuntur. Scatent undique partialitate, et passionibus. Idem illis stylus grossus, et sarcasticus, personalitates redolens, qui libellos berolinenses (Feuerbrände) distinguit. Eadem opinionum quarumlibet accumulatio, quam dudum D. *Archenholz* in Minerva sua exhibet. Idem ubique a posse ad esse deductum potentiae phantasma, quod D. *Buchholz* suggerit. Diaria Germaniae Septemtrionalis, aliquae hodierni libelli occasionales non aliud sunt, quam Repraesentantes, non quidem opinionis publicae, quae nondum datur, sed organi confusionis. — Sicque litigiosa haec de devictis belliducibus scribillatio, qui in ephemeridibus, et Diariis, veluti Massenbach, Röchel, Lecoq etc. rixantur, usque ad exauctoratos vigiliarum Magistros, a primi subsellii viris, usque ad Poëtas, Medicos, et Philosophos trans, derivatur.”

Prodivit etiam secunda editio auctior, et emendatior opusculi „de fatiis monasteriorum, et Domus brandeburgicae, Saeculo 13. prophetisantis, Historia Brandeburgi il-

lustratis, auctore Fratre Hermanno, ordinis Cisterciensis professo." Res sane memorabilis, quod omnia, quae ibidem praedicta sunt, ita evenerint; ex historia borussica demonstrat eruditus hic commentator, qualiter omnia secundum hanc prophetiam adimpleta sint. Coordinatio magno constitit labore, estque relate ad Historiam multae eruditionis. Plures dictam prophetiam jam commentati sunt, sed nemo tanta cum eruditione, et ad Historiam applicatione. Ut quis de hoc vincatur, opusculum ipsum legat, necesse est. — Praeter haec, adhuc aliud vulgatum est summae utilitatis opusculum, per Geometram *Rudolphum Vitsch*, accedente propria experientia, compositum, sub titulo hoc: "Projectum, qualiter articulo 20 sancita in Comitibus Budensibus anni 1807 lex, de colendo in Hungaria solo arenoso, facilius ad effectum deduci possit. „Auctorem proprio commodo non studuisse, ex dedicatione apparet, piae memoriae enim Principi Aloysio Josepho a Lichtenstein opellam suam dedicavit, quae cum in propria experientia fundetur, grata omnibus esse debet, aestimarique reapse opusculum hocce, ex sequentibus ad D. auctorem *Rudolphum Vitsch*, Geometram Pesthiensem datis Suae Excellentiae, Supremae Policiae, et Censurae Praesidis literis patet, quae ita sonant: "Specialiter D. V. pro transmissio opusculo de excolendo solo arenoso obstrictus sum, cum solatio exinde zelum pro bono communi intellexi, neque dubito artis peritos, qui de practicabilitate hujus projecti judicare poterunt, D. V. omnem laudem delaturos. Commendando ulteriolem promovendi boni communis zelum, omni cum aestimio persevero D. V. obsequiosissimus servus, *B. a Sumerau*." Viennae die 3. Junio 1808.

Diarium Politicum.

Ex partibus Moeni die 3. Augusti. — Dux de *Valmy* (Marsehallus *Kellermann*) peracta lustratione copiarum ad Argentoratum existentium, ad Rhenum, idem ibi acturus, profectus est. Duae ibidem legiones equestres provisorie formabuntur. — Praesidium danicum *Glücksstadt* copiae gallicae occuparunt.

Lucca die 19. Julii. — Incolae civitatis *Montingoso*, obtenta a Regimine licentia, omnes se ad civitatem *Massa*, vicinamque pagum *S. Eustachii* transtulerunt, ob aërem mephiticum, qui ex aestu magno hanc regionem implevit. Ne interea res incolarum relictas furto auferantur, milites ad ingressum collocati sunt. Incolae hi futuro autumno rursus redituri sunt. — Imperium copiarum in *Hetruria* existentium, Gubernator Generalis *Menou* suscepit.

Berolino die 24. Julii. — Narratur, Ministrum a *Stein* rursus rediturum, et administrationem financiarum ab auctoritatibus gallicis recepturum. Velut res certa quoque affirmatur, futuro mense copias gallicas discursuras. Id ad minimum certum est; habita ionem Ministri adaptari.

Veselia die 3. Augusti. — His diebus quotidie 3-4 centuriae diversarum legionum hicce advenerunt, pluresque adhuc expectantur. — Magnus Ducatus Montanus, nomine Imperatoris Galliae occupatus est, jamque Officiales administrationis prioris juramentum fideiunitatis deposuerunt. Die 20. Julii Status Consiliarius *Beugnot*, in qualitate Commissarii, Dusseldorpii advenit. — Die 13. Julii legio pedestris 32^{da}, die 15. 16^{ta} et 58^{va}, die 22. 28^{va}, et die 3. Septembris 75^{ta} huc adventura est.

Amstelodamo die 30. Julii. — Baro *Feltz* Minister Imperatoris Austriae die 28. Julii habita apud Regem audientia, discessit Viennam, obtenta ad id ab Aula licentia, interea hic *D. Prevot* qua negotiorum curator permanet. — Navis subsidiaria *Geldria* vocata, post longum cum fortiori navi anglica conflictum, succubuit. — Commissio, cui ordines dati sunt, ut eodidem Napoleonis legibus, et consuetudini Regni accommodaret; laborem hunc perfecit, quem admodum et aliae duae Commissiones, quae objectis criminalibus, et procedura meliore occupabantur. Tres hi codices corpori legislativo exhibiti sunt, qui si approbationem tulerint, a 1. Januarii anni futuri obligationem inducent.

Londino die 4. Julii. — Hodie Parliamentum est prorogatum. Ex literis, quas Rex ad utramque Camera misit, colligere licet, nullam de pace factam fuisse mentionem, imo bellum omnibus viribus continuari. — Memoratu dignum est, quod *D. Adair*, legatus antehac ad Aulam Viennensem, Constantinopolim proficiscatur. *Sedki Effendi* negotiorum turcicorum in Anglia curator cum eodem in eadem navi discedit. Quaeritur an *D. Adair* Constantinopoli sit suscipiendus? adfirmant id pagellae ministeriales, negant e contra oppositionales. — Die 2. Julii Consilium Status in pleno congregatum erat, eodemque die 20. cursum, pecuniis onerati ad *Portsmouth* missi sunt.

Madrito die 22. Julii. — Rex Josephus die 20. Julii vespere Madritum advenit, tormentis, et campanis adventum ejus annunciantibus, copiae omnes sub armis constiterant. — Senator *Lucianus Bonaparte* die 13. Julii per Bononiam transivit Lapurdum, uti dicitur, proficiscens.

Philadelphia 16. Maii. — Propter negotia mercantilia, tempore neutralitatis cum Gallia, et Anglia suscepta, subsequutumque deinedictum sequestrationis 91. Mercatores *Neoboracenses* fallimentum declararunt, agiturque de 6. mil-

ionibus, 51500 Dollars. Exacerbat id animos hominum in statu libero viventium, qui de necessitate talium mediocrum politicorum capacitari nolunt. Praeses *Jefferson* coactus est eatenus minacem proclamationem edere.

Vienenses aulicae Ephemerides de 30. Julii continent certum articulum de otio, seu *far niente* exercituum russici, et ottomannici, qui in conspectu ad invicem adstant, qui tamen nihil quidquam memoria dignum continent. Id tamen ex eo deducitur, novitates serbicas, quas Ephemerides Posonienses (graecae fidei) narrant, nec corticem veritatis habere. Falsum pariter est, Russos Belgradum obsedi se.

Organisatio militiae sedentariae per omnes ditiones Austriacas mira cum celeritate consummata, nunc jam in arte militandi instruitur. Solum gremium Quaestorum Vieniense erexit, et vestivit cohortem 1200 selectissimorum juvenum, et jam numerus spontaneorum longe superat summam totalem, quam Gubernium desideravit; ubique fiunt subscriptiones pro vestiendis tironibus, et dominia ponunt praemia pro illis, qui se in jaculando distinxerint; inter alios autem excellit enthusiasmus in Stiria. Haec res initio variis rumoribus occasionem ministravit, quasi, Deus scit, quantopere arcus cum exteris potentiis intensus esset, sed vani hi rumores sensim jam evanescent, et omnia pacem durabilem prognosticant. Director Politiae Vieniense nominatus est Consiliarius Aulicus *Schüller*, antehac Capitaneus circuli Elnbognensis in Bohemia. — *Lucianus* Bonaparte in itinere suo Bajonnam transivit 13. Julii per Bononiam.

Biographia.

Aristarchus, celebris Grammaticus, in Samothracia natus, vixit Alexandriae. Studio critices specialiter operam navavit; scripsit examen super Iliade Homeri adeo rigorosum; ut omnes versus pro supposititiis declaraverit, qui ei non placuerant. Cicero, et Horatius nomine ejus utuntur, cum rigorosum Criticum designare volunt, idemque et hodie fit. Incidit in hydropem, utque sibi mederetur, fame se enecuit anno aetatis 72 in insula Cypro, *Suida* teste.

a) Invent
ad
do
tis

Su
ctius) I
Eodem
ritiam o
prae fue
dem M
tum pro
creveru
scientia
nibus M
Sancho
set, et
eum in
gam su
causam
invictis.

Ha
Anglia
perorav
rogatur
gant, a
ponere
relatio
rum q
tas fui
8 mens
illos ef
An ho